



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Mediolanen. Archiepisc.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

mē pertimescunt, in diversis Ecclesiis plures sibi archidiaconatus vel alias dignitates usurpant, propter quod Ecclesia debitum defraudantur obsequiis, & ex hoc in eis non leve scandalum generatur. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tibi auctoritate præsentium indulgemus, quatenus illos, quos plures archidiaconatus, dignitates, vel personatus in eadem Ecclesia per totam Auxitan. provinciam habere constiterit, si Prælati eorum post tuam commonitionem id exequi negligenter omiserint, data illis optione quem maluerint retinendi, reliquis possis appellatione remota privare, ipsosque, si super hoc contumaces apparuerint, per censuram ecclesiasticam coercere. Datum Laterani Kalend. Aprilis.

Scriptum est autem eidem Archiepiscopo in eundem modum contra eos qui plures abbatias habent.

*VNIVERSIS ARCHIEPISCOPIIS,
Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis,
ad quos literæ iste pervenerint.*

Epiſt. 33.

Ne promotionis nostræ primitias Domino negaremus, cui universa opera nostra consecrare tenemur, statim post electionem nostram tam pauperum quam aliorum apud sedem apostolicam existentium petitionibus intendere cœpimus, & eorum negotia promovere; ne si otio tanto tempore vacaremus, corpus & animus ex otiositate torperent. Verum quoniam insolitum fuit hactenus ut sub dimidia Bulla ad tot & tam remotas provincias literæ apostolicæ mitterentur, & ex hoc literæ ipsæ diutiū quam vellemus possent ex alicuius dubitatione suspensi; ut quorum interest parcamus laboribus & expensis, universas literas, que ab electionis nostræ die usque ad solennitatem consecrationis sub Bulla dimidia emanarunt, parem cum illis firmatam obtinere decernimus quæ in Bulla integra diriguntur. Nulli ergo &c. Datum Laterani iij. Nonas Aprilis.

*ARCHIEPISCOPO, PRÆPOSITO
S. Andreæ, & Scholastico S. Petri Colonien.*

Epiſt. 34.
Vt fraudulenta
privataque be-
neficiorum per-
missio relin-
datur.
Cap. Cūm uni-
versorum. De

CVM universorum fidelium ab ipso Domino Iesu Christo pastoralis nobis sit cura commissa, solicitudini nostræ dignoscitur expedire, ut sic debeamus quoilibet in suis rationibus confovere, quod aliorum jura in conspectu Ec-

clesiae dispendium non sustineant, sed firma & illibata debeat permanere. In-

*rerum permu-
tatione.*

telleimus siquidem dilecto filio Gileberto Canonicō S. Iohannis in Leodio referente quod cūm ipse & Lambertus Clericus, ducti quādam animi levitate, de

** In tertia Col-
lect. & apud
Gregor. tandem.*

permutatione præbendarum suarum inter se tractare coepissent, quia utilitatem utriusque imminere credebant, * tamen idem L. Clericus occasione dictæ permutationis, præbenda ejusdem G. quam in Ecclesia sanctæ Mariæ Namurcen. habebat, cuidam suo consanguineo assignata, præbendam S. Bartholomæi, quam sæpediēto G. reprobaverat, nequaquam voluit resignare; & sic idem G. (ut afferit) sua spe remansit omnino frustratus. Cūmque super hoc in præsentia venerabilis fratris nostri Leodien. Episcopi fuisse diutiū litigatum, tandem idem L. sedem apostolicam appellavit; & cūm dictus G. ad nostram præsentiam non sine magno periculo & labore accessisset, idem L. nec venit, nec pro se curavit sufficientem mittere responsalem. Cūm igitur deceptis & non decipientibus jura subveniant, fraus etiam & dolus nemini debeat patrociniū impertiri; licet ipsi per se de jure non possent ecclesiastica beneficia permittare; ut tamen simplicitati venia tribuatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus si vobis constiterit prætaxatum G. taliter fuisse deceptum, ab ipsa Namurcen. præbenda, quam diu dicitur possedisse, amoto consanguineo ipsius L. vel quolibet alio illicio detentore, eandem sublato appellationis obstaculo G. faciatis restitui memorato, & eundem ipsius pacifica possessione gaudere. Nullis literis &c. Quod si omnes, tu frater Archiepiscope cum eorum altero &c.

MEDIOLANEN. ARCHIEPISC.

Benevolentiam, quam circa Mediolanen. Ecclesiam & civitatem gerimus, in minori quondam officio constituti in opere demonstravimus, & nostræ intentionis effectum ostendimus in effectu. Nuper etiam divino munere ad summi pontificatus officium evocati, inter ipsa nostræ promotionis exordia volentes Ecclesia Mediolanen. deferre, negotium ejus, quod ex majori parte fuerat immutatum, in debitum statum reduximus: in quo usque adeo vici fuimus ejusdem Ecclesia justitiae providere, ut

Epiſt. 35.
De citatione
Pausagueræ
causidici ad di-
cendam causam
Roma.

F iij

Passaguerra causidicus tuus ad pedes nostros procidens, publicè in consistorio acclamaret: *Iustus es Domine, & reclam judicium tuum.* Ceterum cùm postmodum juxta tenorem pronunciationis nostræ, dilecto filio Abbatii de Scozula expensas restitui faceremus, licet frequentes oblocutiones & detractiones ejusdem P. frequenter dissimulassimus, tandem coram fratribus nostris proponere derrahendo præsumpsit quòd eum in pronunciatio- ne nostra injustè gravaremus, ac postmo- dum iniquitatem iniquitati ac præsum- ptionem præsumptioni apponens, à no- bis illicientiatus, immo post interdictum nostrum abfessit. Licet autem & pecca- tores simus, & nati de peccatoribus; illius tamen & vices agimus & locum te- nemus qui peccatum non fecit, nec in- ventus est dolus in ore ejus, qui habet in vestimento & in femore suo scriptum *Rex Regam, & Dominus dominantium*, qui dixit Apostolis: *Qui vos spernit, me sper- nit: & qui me spernit, spernit eum qui me misit.* Cùm ergo juxta canonicas sanctio- nes quædam sint culpæ in quibus culpa est relaxare vindictam, ne quis hujus remeritatis exemplo præsumat ponere os in coelum, cùm ejus lingua transeat su- per terram; nos utique non nostram persequentes injuriam, sed zelum exer- centes ecclesiasticae disciplinæ, universa quæ idem P. pro se ac suis à sede aposto- lica impetravit, præsentium auctoritate cassamus; fraternitati tuæ per aposto- lica scripta mandantes, & sub obtenu- gratiæ nostræ districte præcipientes, quatenus ea cassata denuncies & carere prorsus robore firmitatis. Ad hæc, distri- ctè tibi præcipiendo mandamus, ut nisi dictus P. infra quindecim dies pòst sus- ceptionem præsentium satisfaciendi no- bis de tanto excessu in manu tua jurato- riā præstiterit cautionem, vel infra quindecim alios dies iter arriperit ad sedem apostolicam veniendi de tanto no- bis satisfacturus excessu, ex tunc eum singulis diebus Dominicis & festivis, pulsatim campanis, & candelis accensis, facias tam per civitatem Mediolanen. quæ per totam diocesim excommuni- catum publicè nunciari; taliter super hoc mandatum apostolicum impletu- rus, ne culpa ipsius in te possit merito re- torqueri. Datum Romæ apud S. Petrum Idibus Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

ARCHIEPISCOPO SENONEN.

Apostolicæ sedis requirit auctoritas ut quæ confirmationis ipsius mu- nimine fulciuntur, firma debeat & illi- bata persistere, nec possint alicujus teme- ritate cassari. Vnde cùm venerabilis fra- ter noster Episcopus Carnoten. Presby- teros in sua diocepsi per Carnoten. Pissiacen. & Drocen. archidiaconatus consti- tutos ab omnibus violentiis, talleis, & exactionibus duxerit absolvendos, eis- dem concedens quòd in aliquem ipso- rum nullam præter juris ordinem suspen- sionis sententiam promulgaret, nec res alicujus occasione aliqua occuparet, nisi forte decederet intestatus, sicut tam in suo quæm tuo authentico perspeximus contineri, & nos, ut ab indebito illorum gravamine conquiscat, duxerimus con- firmandum; fraternitati tuæ per aposto- lica scripta mandamus quatenus idem factum, sicut ratione prævia est statutum, tam nostra quæm tua facias aucto- ritate servari; eundem Episcopum, sive alios, si qui forte contra confirmatio- nem nostram temerè duxerint venien- dum, per censuram ecclesiasticam mo- nitione præmissa, cessante appellatione, compescens. Datum Romæ apud sanctum Petrum xvij. Kalend. Maij, pon- tificatus nostri anno primo.

ARCHIEPISCOPO SENONEN.

Avdivimus quòd venerabilis frater noster Episcopus Carnoten. ita quandoque sequatur motum propriæ voluntatis, quòd cùm ad vacantes Ec- chlesiæ in sua diocepsi personæ idoneæ præsentantur, ipse, licet eis nihil de ju- re possit objicere, eas tamen instituere contradicit. Cùm ergo per te, qui ejus Metropolitanus existis, ipsius velimus suppleri defectum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si idem Episcopus personas idoneas à di- lecto filio Pissiacen. Archidiacono cano- nicæ præsentatas admittere post trinam commonitionem tuam factam diligenter eidem, malitiosè forte distulerit, tu no- stra fretus auctoritate, sublato appella- tionis obstaculo, eas instituere non omittas, ita tamen quòd nullum ex hoc Epi- scopo in posterum præjudicium generetur. Datum Romæ apud sanctum Pe- trum xviij. Kalend. Maij, pontificatus nostri anno primo.

Epi. 86.
Vt decreum
privilegij &
exemptionis
Cleri à talleis
& exactionibus
observeatur.

Vide supra Ep. 45.

Epi. 87.
Vt ipse illos in-
stituat quos
Carnotenis in-
stituere recula-
bat.